Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1829

Quelle:
Copyright:

Tertium errorem revocatum fuisse *Parisiis* testatur tempore *Engelberti* Abb. *Admontensis*, de quo Polygrapho a. 1331. mortuo videri potest ex aliis *Fabricii Bibliotheca med. Lat.*

VI. *fol.* 133. *In uesperijs M. Mathye de weinsperg.* 1454. Quaestio: *Vtrum christus resurgens ex mortuis omnem carnem assumptam et sangwinem in passione effusum glorificauerit dotibus glorioſis?* Eandem Quaestionem ab *Husso* ventilatam pluries notavimus *Vol.* I. De Sanguine ait Noster: *Totus qui de Corpore Christi effluxit, cum ad veritatem humane nature pertineat, in Christi Corpore resurrexit; Sanguis autem ille, qui in quibusdam Ecclesiis pro Reliquiis observatur, non fluxit de latere christi, sed miraculose dicitur effluxisse de quadam Imagine Christi percussa.*

VII. *fol.* 145. habentur Capita *de Gula, Luxuria* et *Acedia* excerpta, ut videtur, e Tractatu integro de VII. Vitiis capitalibus.

VIII. *fol.* 156. *Incipit Confessionale de septem Vicijs capitalibus. Secundum Magistrum et Doctores* &c. Est *Nicolai de Dünkelspühl*, ut dictum *Vol.* I. P. I. *col.* 226.

IX. *fol.* 172. *Collacio nomine vniuersitatis ad suscipiendum ducem Sigismundum. sed nondum pronunciata.* Manus Thomae *de Haselbach*, qui ad calcem adjecit: 1452. *incepi hanc collationem in die animarum et collegi per 3. dies subito. et debui pronunciare coram Sigismundo duce austrie regente attisl.* (Athesino s. Tyrolensi) *in dieta que celebratur eodem anno hic wyenne ex parte vna Friderici Imperatoris et ex parte altera Ladislai regis Vngarie, Boemie et ducis Austrie, sed non presentauit se ad istam dietam.* Collatio incipit: *Sereniſſime — verbum faciendo ad vestram excellentissimam dominationem quo saltem digne* &c. et in Topicis de Principum Officiis insumitur.

X. *fol.* 176. insertus est Codici Index alphabeticus in Tractatum quendam Juris Canon. scriptus Sec. XIV.

XI. *fol.* 200. Regimen in Podagra, quod incipit: *Dispositio cuiusdam Honorabilis Patris ac fautoris specialissimi est Passio guttosa seu artetica. Quoniam humor crudus cadit et ruit guttatim a venis per earum capita lata a generacione uel a tempore ad iuncturas subiacentes laxas et raras* &c. Tractatur negotium pathologice, diaetetice et therapeutice, fortassis in ipsius *Haselbachii* commodum. Sed nempe: *Tollere nodosam* &c.

XII. *fol.* 207. *Audita.* Sub hoc titulo varia Manus multa congessit currente calamo, non raro lectu difficilia, partim historica, literaria partim, partim theologica et canonistica. Ita narrat v. g. *In die sancti Andree apostoli Anno D. MCCCC27. fuit dies frigidissima et audiui a Magistro Nicolao* (de Dünkelspühl) *quod in capella magistrorum Missam legisset, et preterquam sub canone et circa sumptionem sacramenti ante et post fuisset tectus*